



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Milevitanvm II. Contra Pelagivm Et Caelestivm, LX.  
Episcoporvm, Theodosio VII. & Palladio consulibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

fuisse, Innocentii epistola ad Mileuitanum Concilium, Honorio II. & Constantio II. consulibus, anno Christi 417. sexto Kalendas Februarii rescripta, eidentissime demonstrat. Per eundem Iulium legatum, vtraque Synodus, Carthaginensis & Mileuitana, ad Innocentium scripsit, & pontificis rescriptum accepit. Cum itaque pontifex suas epistolas prædictis consulibus, mense Ianuario, anno 417. reddiderit, dubium non est, quin in causa Pelagii, prædicta Concilia circa initium autumnii anno 416. habita fuerint. Hoc Concilium Carthagine paulo ante Mileuitanum coactum fuisse, synodica Concilii Mileuitani II. indicat his verbis: *Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidia scripta direximus, imitantes Carthaginensis prouincia coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, hac de causa scripsisse comperimus.*

## <sup>a</sup> CONCILIVM MILEVITANVM <sup>b</sup> II.

<sup>c</sup> CONTRA PELAGIVM ET CÆLESTIVM,

<sup>d</sup> LX. EPISCOPORVM,

<sup>e</sup> Theodosio VII. & Palladio consulibus.

*Celebratum sub Innocentio papa I. anno Christi ccccxvi.*

<sup>f</sup> TITVLI CANONVM.

- |   |  |
|---|--|
| I. <i>Contra Pelagianos, qui dicunt, etiam sine peccato mori potuisse Adam.</i>   | <i>non solum pro aliis, sed &amp; pro semetipso dicere oporteat: Dimitte nobis debita nostra.</i>  |
| II. <i>Quod iuxta Apostoli testimonium, etiam paruuli, qui nihil peccati adhuc commiserunt, omnes in peccatorum remissione veraciter baptizentur.</i> | VIII. <i>Quod a sanctis veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra.</i>  |
| III. <i>Quod gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adiuvat, ne committantur.</i>   | IX. <i>Quod ad communes causas ecclesie generale Concilium cogregari oporteat, in priuatis vero causis speciale vniuscuiusque prouincie.</i> |
| IV. <i>Quod per gratiam Dei sciamus, quid facere debeamus, &amp; diligere, vt faciamus.</i>   | X. <i>Vt epistolas ad Concilium euocandum metropolitanus subscribat &amp; dirigat.</i>   |
| V. <i>Quod gratia Dei prestet, vt lex impleatur, non (sicut ait Pelagius) facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.</i>               | XI. <i>Vt de hæreticis &amp; infidelibus quidquid in Concilio constituitur, a principe impetretur.</i>                                       |
| VI. <i>Quod iuxta sententiam Ioannis euangeliste, nemo sit qui esse possit sine peccato.</i>  | XII. <i>Vt preces &amp; orationes composita, nisi probata fuerint, in Concilio non dicantur.</i>   |
| VII. <i>Quod vnicuique, etiam iusto,</i>  | XIII. <i>Vt posteriores anterioribus episcopis non preferantur, nec inconsultis primatibus suis, aliquid agere presumant.</i>                |

- ANNO CHRISTI 416.
- XIV. *Vt episcopi, pro tempore consecrationis suæ, literas ab ordinatoribus habeant.*
- XV. *Vt ubi primum quis \* legerit, ibi permaneat clericus.*
- XVI. *Vt pro causis ecclesiarum executores vel aduocati a principe postulentur.*
- XVII. *Vt neque dimissus, neque dimissa, alteri coniungantur.*
- XVIII. *De his qui in sua prouincia non communicant, vt alibi non communicent.*
- XIX. *De clericis qui apud principem saculare iudicium aut synodale impleuerint.*
- XX. *Vt sine formatis nemo ad comitatum proficiatur, & qualiter formate fiant.*
- XXI. *De episcopis qui, quod repetere poterant, pratermissa Synodo, inuaserunt.*
- XXII. *De clericis qui de iudicio episcoporum suorum conueruntur.*
- XXIII. *De his qui apud hereticos penitentiam acceperunt.*
- XXIV. *De episcopis negligentibus aduersus hereticos.*
- XXV. *Vnde supra.*
- XXVI. *De virginibus qua infra viginti quinque annos, necessitate cogente, velantur.*
- XXVII. *De episcopis qui post acta Carthaginensis Synodi retenti sunt ad reliqua peragenda.*

P R A E F A T I O.

**G**LORIOSISSIMIS imperatoribus Arcadio & Honorio Augustis viris clarissimis consulibus, vi. Kalendas Septembris, in ciuitate Mileuitana, in secretario basilicæ, cum Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginis in Concilio vniuersali confedisset, astantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: Quoniã ecclesiæ sanctæ vnum est corpus, omniumque membrorum caput est vnum, factum est, volente Domino, ac nostram infirmitatem iuuante, vt ad hanc ecclesiam conueniremus, dilectionis & fraternitatis gratia inuitati. Vnde quæso caritatem vestram, quia ita credendum est, quod noster accessus ad vos, nec superfluous nec insuauis est cunctis, ideoque pariter quædam de causis fidei, vnde nunc quæstio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu sanctissimo primitus tractentur: deinde subsequantur & aliqua, quæ disciplinæ ecclesiasticæ necessaria existunt.

## C A N O N E S.

ANNO  
CHRISTI  
416.

## I.

Cod. Can.  
cap. 109.  
Conc. Afr.  
cap. 76.  
De consecr.  
dist. 4. Pla-  
cuit igitur  
omnibus e-  
piscopis.

PLACVIT ergo omnibus episcopis, qui fue-  
runt in hac sancta Synodo, constituere hæc  
quæ in præsentî Concilio definita sunt: Vt qui-  
cumque dicit, Adam primum hominem morta-  
lem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret,  
moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret,  
non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathe-  
ma sit.

## II.

Cod. Can.  
cap. 110.  
Conc. Afr.  
cap. 77.  
De consecr.  
dist. 4. Pla-  
cuit, vt qui-  
cumque  
paruulos.

Rom. 5.

Item placuit, vt quicumque paruulos recentes  
ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in  
remissionem quidem peccatorum eos baptizari,  
sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod  
regenerationis lauacro expietur: vnde fit conse-  
quens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem  
peccatorum, non vere, sed false intelligatur, ana-  
thema sit. Quoniam non aliter intelligendum est,  
quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum  
intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in  
omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, ni-  
si quemadmodum ecclesia catholica vbique diffu-  
sa semper intellexit.* Propter hanc enim regulam fi-  
dei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semet-  
ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in pecca-  
torum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis  
regeneratione mundetur, quod generatione traxe-  
runt.

III.

ANNO  
CHRISTI  
416.

Item placuit, vt quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.

Cod. Can.  
cap. 111.  
Conc. Afr.  
cap. 78.  
De consecr.  
dist. 4. Placuit, vt quicumque dixerit.

IV.

Item, quisquis dixerit eandem gratiam Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, caritas vero ædificat*: valde impium est, vt credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat, non habere: cum sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus; vt ædificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominem scientiam*: ita etiam scriptum est: *Caritas ex Deo est*.

Cod. Can.  
cap. 112.  
Conc. Afr.  
cap. 79.  
De consecr.  
dist. 4. Quisquis dixerit.

1. Cor. 8.

Psal. 93.

1. Ioan. 4.

V.

Item placuit, vt quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De

Cod. Can.  
cap. 113.  
Conc. Afr.  
cap. 80.  
De consecr.  
dist. 4. Placuit, vt quicumque dixerit.

fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficilius potestis facere: sed ait: *Sine me nihil potestis facere.*

Ioan. 15.

## VI.

Cod. Can.  
cap. 114.  
Conc. Afr.  
cap. 81.  
1. Ioan. 1.

Ibidem.

Item placuit, quod ait S. Ioannes apostolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: *Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est*: sed cum ait: *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

## VII.

Cod. Can.  
cap. 115.  
Conc. Afr.  
cap. 82.  
Matth. 6.

Iacob. 3.

Item placuit, vt quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnumquemque sanctorum: *Dimitte mihi debita mea*, sed: *Dimitte nobis debita nostra*, vt hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat apostolus Iacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus om-*

ANNO  
 CHRISTI  
 416.

nes. Nam quare additum est, *omnes*, nisi vt ista sententia conueniret & psalmo, vbi legitur: *Non in- Psa. 141.*  
*tres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in*  
*conspetu tuo omnis viuens?* Et in oratione sapientif-  
 simi Salomonis: *Non est homo qui non peccet.* Et in li- *Ecc. 7.*  
 bro Iob: *In manu omnis hominis signat, vt sciat omnis* *Iob. 37.*  
*homo infirmitatem suam.* Vnde etiam Daniel sanctus  
 & iustus, cum in oratione pluraliter diceret: *Pecca- Dan. 9.*  
*uimus, iniquitatem fecimus, & cetera,* quæ ibi veraci-  
 ter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemad-  
 modum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de  
 populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum* *Ibidem.*  
*orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi*  
*mei Domino Deo nostro:* noluit dicere, peccata no-  
 stra sed & *populi sui* dixit: & *sua*: quia futuros i-  
 stos, qui tam male intelligerent, tamquam prophe-  
 ta præuidit.

VIII.

Item placuit, vt quicumque verba ipsa domi-  
 nicæ orationis, vbi dicimus: *Dimitte nobis debita no-* *Cod. Can. cap. 116.*  
*stra,* ita volunt a sanctis dici, vt humiliter, non ve- *Conc. Afr. cap. 83.*  
 raciter, hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat *Matth. 6.*  
 orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino men-  
 tientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde  
 dicit, quæ sibi dimittantur, sed debita non habere?

Hucusque de fide contra Pelagianos, nunc re-  
 gulæ tractentur ecclesiasticæ.

IX.

Placuit, vt non sit vltra fatigandis fratribus an- *Cod. Can. cap. 95.*  
 niuersaria necessitas, sed quoties exegerit causa *Conc. Afr. cap. 62.*  
 communis, id est, totius Africae, vndecumque ad

hanc sedem pro Concilio datæ literæ fuerint, congregandam esse Synodum in ea prouincia, ubi oportunitas persuaserit. Causæ autem quæ communes non sunt in suis prouinciis iudicentur.

## X.

Cod. Can.  
cap. 106.  
§. vlt.  
Conc. Afr.  
c. 73. §. vlt.

Placuit etiam peti, vt omnium episcoporum epistolis omnibus, de Concilio dandis, sanctitas tua sola subscribat.

## XI.

Cod. Can.  
& Conc.  
Afr. cod.  
cap.

Placuit & illud aduersus hæreticos vel paganos, vel eorum superstitiones, vt legati missi de hoc glorioso Concilio, quidquid vtile prouiderint a gloriosissimis principibus impetrent.

## XII.

Cod. Can.  
cap. 103.  
Conc. Afr.  
cap. 70.

Placuit etiam & illud, vt preces vel orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, siue præfationes, siue commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.

## XIII.

\* Palentinus episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequar ea quæ necessaria sunt ecclesiasticæ disciplinæ. Scimus enim, sic inuolante permanisse ecclesiasticam disciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone, sed officiis legitimis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus rationaliter semper acciperetur. Hunc ordinem iubeat  
san-



ANNO  
CHRISTI  
416.

sanctitas vestra, melius vestris interlocutionibus roborare. Aurelius episcopus dixit: Non decuerat quidem, ut hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsideratæ mentes quorundam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed & communis hæc causa est, quam insinuauit frater & coepiscopus noster, ut vnusquisque nostrum, ordinem sibi decretum a Deo cognoscat: & posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re oportet eos, qui putauerint, spretis maioribus, aliquid præsumendum, competenter esse ab omni Concilio coercendos. Vniuersi episcopi dixerunt: Hic ordo & a patribus & a maioribus est seruatus, & a nobis Deo propitio seruabitur, saluo etiam iure primatus Numidiæ & Mauritaniæ.

XIV.

Deinde placuit, ut quicumque deinceps ab episcopis ordinantur, literas accipiant ab ordinantibus suis, manu eorum subscriptas, continentes consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

XV.

Item placuit, ut quicumque in ecclesia vel semel

Dist. 71.  
Placuit, ut  
quicumque  
dixerit in  
ecclesia.

\* suscepto  
officio  
eligitur,

\* legerit, ab alia ecclesia ad clericatū non teneatur.

XVI.

Placuit præterea, ut executoribus in omnibus iustis desideriis impertiatur. Placuit etiam, ut petatur a gloriosissimis imperatoribus, ut iubeant iudicibus \* dare petitos sibi defensores scholasticos, qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum

\* dari

ecclesiasticarum, more sacerdotum prouinciæ, vt iidem ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem, pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitauerit, vel ad obsistendum callide decipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.

## XVII.

Cod. Can.  
cap. 102.  
Conc. Afr.  
cap. 62.  
37. quest. 7.  
Placuit, vt  
secundum.  
1. Cor. 7.

Placuit, vt secundum euangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur: sed ita maneant, aut sibi met reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. <sup>1</sup> In qua causâ legem imperialem petendam promulgari.

## XVIII.

Cod. Can.  
cap. 105.  
Conc. Afr.  
cap. 72.

Placuit, vt quicumque non communicat in prouincia propria, & in aliis prouinciis vel transmari- nis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis vel clericatus excipiat.

## XIX.

Cod. Can.  
cap. 104.  
Conc. Afr.  
cap. 71.  
11. quest. 5.  
Placuit, vt  
quicumque  
ab imp.

Placuit, vt quicumque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem episcopale iudicium ab imperatore postulauerit, nihil ei obsit.

## XX.

Cod. Can.  
cap. 106.  
Conc. Afr.  
cap. 73.

Placuit, vt quicumque clericus, propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab episcopo accipiat. Quod si sine formata voluerit pergere, a cõmunionem remoueat. Quod si alicubi ei repentina necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud episcopum loci eius ipsam necessitatē, & de hoc scripta eiusdem epi-

ANNO  
 CHRISTI  
 416.

scopi deferat: formatae autem, quae a primatibus vel a quibuscumque episcopis clericis propriis dantur, habeant diem paschae. Quod si adhuc eiusdem anni paschae dies incerta est, ille praecedens adiungatur, quomodo solet, Post consulatum, in publicis gestis adscribi.

XXI.

Item placuit, ut quicumque episcopi, quascumque ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram aestimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas, episcopis iudicantibus, agant: sed alio retinente irruerint, siue volentibus, siue nolentibus plebibus causae suae detrimentum patiantur. Et quicumque iam hoc fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendant; ille discedat, quem constiterit, praetermissis \* iudiciis ecclesiasticis, irruisse. Nec sibi quisque blandiatur, si a primate, ut retineat, literas impetrarit: sed, siue habeat literas, siue non habeat, conueniat eum qui tenet, & eius literas accipiat, ut eum appareat pacifice tenuisse ecclesiam ad se pertinente. Si autem ille aliquam quaestionem retulerit, per episcopos iudices causa finiatur, siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consultu primatis delegerint.

Cod. Can.  
 cap. 120.  
 Conc. Afr.  
 cap. 87.  
 16. quest. 6.  
 Placuit, ut  
 quicumque  
 episcopi ecc-  
 lesias.

\* iudici-  
 bus

XXII.

Item placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant: & inter eos quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non pro-

Cod. Can.  
 cap. 125.  
 Conc. Afr.  
 cap. 92.  
 1. quest. 6.  
 Placuit, ut  
 presbyteri.

uocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates  
prouinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui  
putauerit appellandum, a nullo intra Africam in  
communione suscipiatur.

## XXIII.

Placuit, vt quicumque conuersus ab hæreticis,  
dixerit se apud eos pœnitentiam accipere, vnus-  
quisque catholicus episcopus requirat, vbi & ob  
quam causam apud eosdem hæreticos pœniten-  
tiam susceperit: vt cum documentis certis hoc ip-  
sum approbauerit, sibi pro qualitate peccati, sicut  
eidem episcopo catholico visum fuerit, tempus  
pœnitentiæ vel reconciliationis decernat.

## XXIV.

Cod. Can.  
cap. 12.  
Conc. Afr.  
cap. 88.  
16. quæst. 3.  
Placuit, vt  
quicum-  
que.

Item placuit, vt quicumque negligunt loca ad  
suam cathedram pertinentia, in catholicam vnita-  
tem lucrari, conueniantur a diligentibus vicinis e-  
piscopis, vti id agere non morentur. Quod si intra  
sex menses a die conuentionis, non hoc fecerint:  
qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineant: ita sa-  
ne, vt si ille, ad quem pertinuisse videbantur, pro-  
bare potuerit, magis illius electam negligentiam ab  
hæreticis, impune vt ibi sint, & suam diligentiam  
fuisse præuentam, vt eo modo eius cura \* solertior  
\* vitaretur, cum hoc iudices episcopi cognouerint,  
suæ cathedræ loca restituant. Sane, si episcopi, inter  
quos causa versatur, diuersarum sunt prouinciarum,  
ille primas det iudices, in cuius prouincia est locus,  
de quo contenditur. Si autem ex communi placi-  
to vicinos iudices elegerint, aut \* duo eligantur, aut  
tres. Quod si tres elegerint, aut omnium senten-

ANNO  
CHRISTI  
416.

tiam sequantur, aut duorum. A iudicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat pro-  
uocare. Et quisquis probatus fuerit, per contuma-  
ciam nolle obtemperare iudicibus, cum hoc primæ  
sedis episcopo fuerit probatum, det literas, vt nul-  
lus ei communicet episcoporum, donec obtem-  
peret.

Cod. Can.  
cap. 122.  
Conc. Afr.  
cap. 89.  
2. quest. 6.  
A iudici-  
bus.  
2. quest. 6.  
Quisquis.

XXV.

Si in matricibus cathedris episcopus negligens fuerit aduersus hæreticos, conueniatur a vicinis e-  
piscopis diligentibus, & ei sua negligentia demon-  
stretur, vt se excusare non possit. Quod si ex die,  
quo conuenitur, intra sex menses, si in eius prouin-  
cia executio fuerit, & non eos ad vnitatem catholi-  
cam conuertendos curauerit, non ei communice-  
tur, donec impleat. Si autem executor ad loca non  
venerit, non adscribatur episcopo. Si autem pro-  
batum fuerit, eum de communionem illorum fuisse  
mentitum, dicendo eos communicasse, quos, eo  
sciente, non communicasse constiterit, etiam epi-  
scopatum amittat.

Cod. Can.  
cap. 123. in  
sequente  
Conc. Afr.  
cap. 90. &  
91.

XXVI.

Item placuit, vt quicumque episcoporum, ne-  
cessitate periclitantis pudicitia virginalis (cum vel  
petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si  
aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compun-  
cta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus  
parentibus, aut his ad quorum curam pertinet) ve-  
lauerit virginem, seu velauit intra viginti quinque  
annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto  
annorum numero constitutum est.

In Decr.  
Ino. lib. 3.  
Cod. Can.  
cap. 126.  
Conc. Afr.  
cap. 93.  
Carthag. 3.  
cap. 4.

Item placuit, ne diutius vniuersi episcopi, qui ad Concilium congregati sunt, tenerentur, ab vniuerso Concilio ternos iudices de singulis prouinciis eligi. Et electi sunt de prouincia Carthagenensi Vincentius, Fortunatianus, & Clarus: de prouincia Numidiæ, Alypius, Augustinus, & Restitutus: de prouincia Byzacena, cum sancto sene Donatiano primate, Cresconius, Iocundus, & Æmilianus: de Mauritania Sitiphensi, Seuerianus, Asiatius, & Donatus: de prouincia Tripolitana, Plautius, qui ex more legatus vnus est missus, qui omnes cum sancto sene Aurelio vniuersa cognoscant.

Conc. Aff.  
 cap. 94.

A quo petiit vniuersum Concilium, vt cunctis siue gestis, quæ confecta iam sunt, siue epistolis ipse subscribat. Et subscriperunt. Aurelius episcopus ecclesiæ Carthagenensis, huic decreto consensi, & perlecto subscripsi. Donatianus Teleptensis primæ sedis subscripsi. Augustinus Hipponæ Regiensis subscripsi. Similiter & omnes episcopi subscriperunt.

° EPISTOLA  
 CONCILII MILEVITANI  
 AD INNOCENTIVM PAPAM.

De cohibendis Pelagianis.

*Domino beatissimo, meritoque venerabili & in Christo honorando papæ Innocentio, Siluanus senex, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentius, Seuerus, Fortunatus, Possidius, Nouatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustiniannus, Cresconius, Innocentius, Felix, Antoninus, Gigantius, Cresconius, Adeodatus, Processus, Secundus, Fe-*

ANNO  
CHRISTI  
416.

lix, Asiaticus, Rufinus, Faustinus, Victor, Antoninus, Malchus, Victorius, Fortunatus, Donatus, Pontianus, Saturninus, Cresconius, Possidonius, Lucius, Honorius, Seruius, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, item Sabinus, Cresconius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex Concilio Milevitano, in Domino salutem.

QVIA te Dominus gratiæ suo præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiam valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastorem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. Nova quippe hæresis, & nimium perniciosa tentat assurgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis dominicam etiam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit, ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: isti dicunt, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium peruenire, ut ei non sit iam necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra*. Illud vero quod sequitur: *Ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tamquam diuinum adiutorium postulare debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem, tamquam frustra Apostolus dixerit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Et: *Fidelis Deus, qui vos non permittit tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere*. Frustra etiam Dominus dixerit apostolo Petro: *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua*: & omnibus suis: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*: si hoc totum est potestatis humanæ. Pueros quoque paruulos (si nullis imbuantur Christianæ gratiæ sacramentis) habituros vitam æternam, nequaquam Christiana præsumptione contendunt, euacuantes quod dicit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intrauit in mun-*

Matth. 6.  
Luc. 11.

Ibidem.

Rom. 9.  
1. Cor. 10.

Luc. 22.

Matth. 26.  
Luc. 22.

Rom. 5.

*dum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et alio loco: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur.* Vt ergo alia omittamus, quæ contra scripturas sanctas plurima differunt, hæc interim duo (quibus omnino totum, quod Christiani sumus, conantur euertere) quæ fidelia corda sustineant, non esse rogandum Deum, vt contra peccati malum, atque ad operandam iustitiam sit noster adiutor: & non opitulari paruulis, ad consequendam vitam æternam, Christianæ gratiæ sacramentum. Hæc insinuantes apostolico peccatori tuo, non habemus opus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te ista permoueant, vt ab eis corrigendis, ne latius serpent, multosque contaminent, vel potius interimant, (dum sub nomine Christi, a gratia Christi penitus alienant) omnino dissimulare non possis. Huius autem perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius & Cælestius, quos quidē in ecclesia sanari maluimus, quam desperata salute, ab ecclesia refecari, si necessitas nulla compellat. Quorum vnus, id est, Cælestius, etiam ad presbyterium in Asia peruenisse dicitur. De quo, ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginensi ecclesia melius instruitur. Pelagius vero (sicut a quibusdam fratribus nostris missæ loquuntur epistolæ) Hierosolymis constitutus, nonnullos fallere asseritur. Verumtamen multo plures, qui eius sensus diligentius indagare potuerunt, aduersus eum pro Christi gratia, & catholicæ fidei veritate conflagunt, sed præcipue sanctus filius tuus, frater & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur (adiuuante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur) auctoritati sanctitatis tuæ de claro scripturarum lumine depromptæ, facilius eos (qui tam peruersa & perniciosâ sentiunt) esse cessuros, vt de correctione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu, domine beatissime. Quodlibet autem ipsi eligant, certe vel aliis, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua, instanter & celeriter prouidendum. Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginen-

D. Hieronymi encomium.



ANNO  
CHRISTI  
416.

ginensem ecclesiam, & Carthaginensis prouinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Et alia manu: Memor nostri in Domini gratia augearis, Domine beatissime, meritoque venerabilis, & in Christo honorande, sanctissime papa.

EPISTOLA FAMILIARIS  
QUINQUE EPISCOPORVM  
AD SVPRADICTVM PAPAM.

*Domino beatissimo, meritoque honorandissimo fratri Innocentio  
papæ, Aurelius, Alypius, Augustinus, Euodius  
& Possidius, in Domino salutem.*

**D**E Conciliis duobus prouinciæ Carthaginensis atque Numidiæ ad tuam sanctitatem a non paruo episcoporum numero subscriptas literas misimus, contra inimicos gratiæ Christi, *qui confidunt in virtute sua, & creatori* Psal. 48. nostro quodammodo dicunt: Tu nos creasti homines, iustos autem ipsi nos fecimus. Qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem: ideo saluam, vt indicent superfluum saluatorem. Tantum enim dicunt valentem, vt suis viribus, semel in origine suæ creationis acceptis, possint per liberum arbitrium, nihil vltius adiuuante illius gratia qui creauit, domare & extinguere omnes cupiditates, tentationesque superare. *Multi eorum insurgunt aduersum nos, & dicunt animæ* Psal. 3. *nostræ: non est salus illi in Deo eius.* Familia Christi (quæ dicit: *Quando infirmor, tunc fortis sum: & cui dicit Dominus* 2. Cor. 12. *eius: Salus tua ego sum*) suspenso corde, cum timore & Psal. 34. tremore adiutorium Dei, etiam per caritatem tuæ venerationis, expectat. Audiuimus enim esse in vrbe Roma, vbi ille diu vixit, nonnullos qui diuersis causis eius faueant. Quidam scilicet, quia vos talia persuasisse prohibent: plures vero, qui eum talia sentire non credunt: præfertim quia in oriente, vbi degit, gesta ecclesiastica facta esse iactantur, quibus putatur esse purgatus: vbi quidem si episcopi eum catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia dixit se Dei gratiam confiteri, & ita posse hominem suo labore ac vo-

Concil. Tom. 4.

Bbb

luntate iuste viuere, vt ad hoc adiuuari Dei gratia non negaret. His enim auditis verbis, catholici antislites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere, & populis Dei prædicare consueuerunt, eam vtique, de qua dicit Apostolus: *Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Sine dubio gratiam, qua iustificamur ab iniquitate, & qua saluamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines sumus; negare vero eam, qua Christiani & filii Dei sumus: quis catholicorum sacerdotum eum patienter, non dicimus, audiret, sed ante oculos suos ferret? Quapropter non culpandi sunt iudices, qui ecclesiastica consuetudine gratiæ nomen audierunt, nescientes quid huiusmodi homines vel in suæ doctrinæ libris, vel in suorum solent auribus spargere. Non agitur de vno Pelagio, qui iam fortasse correctus est, quod vtinam ita sit: sed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas, velut conuictas, trahentibus, firmas autem & in fide stables, ipsâ contentione fatigantibus, vsquequaque iam plena sunt omnia. Aut ergo a tua veneratione accersendus est Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, si tamen iam fateatur, ad non peccandum, iusteque viuendum, homines adiuuari: aut hoc ipsum cum eo per literas agendum. Et cum inuentus fuerit hanc dicere, quam docet ecclesiastica & apostolica veritas, tunc sine vlllo scrupulo ecclesiæ, & sine latibulo ambiguitatis vllius absoluendus est, tunc est reuera de eius purgatione gaudendum. Siue enim dixerit, gratiam esse liberum arbitrium, siue gratiam esse remissionem peccatorum, siue gratiam esse legis præceptum, nihileorum dicit, quod per subministrationem Spiritus sancti pertinet ad concupiscentiam tentationesque vincendas, quem ditissime effudit super nos, *qui ascendit in cælum, & captiuauit captiuitatem, deditque dona hominibus.* Hinc enim oramus, vt peccatorum tentationem superare possimus, *vt spiritus Dei,* vnde pignus accepimus, *adiuuet infirmitatem nostram.* Qui autem orat

Gal. 2.

Ephes. 4.

Rom. 8.

ANNO  
CICLI  
496.

ANNO  
CHRISTI  
410.

& dicit: *Ne nos inferas in tentationem*: non utique id orat, ut *Math. 6.*  
homo sit, quod est natura; neque orat id, ut habeat libe-  
rum arbitrium, quod iam accepit, cum crearetur ipsa  
natura: neque orat remissionem peccatorum, quia hoc  
superius dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*: neque orat, ut *Ibidem.*  
accipiat mandatum, sed plane orat, ut faciat mandatum.  
Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est, in tenta-  
tione defecerit, facit utique peccatum, quod est contra  
mandatum. Orat igitur, ut non peccet, hoc est, ut ne quid  
faciat mali: quod pro Corinthiis orat Apostolus, dicens:  
*Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali*. Vnde satis *2. Cor. 13.*  
apparet, quod ad non peccandum, id est, ad non malefa-  
ciendum, quamuis esse non dubitetur liberum arbitrium  
voluntatis, tamen eius potestas non sufficiat, nisi adiuue-  
tur infirmitas. Ipsa igitur oratio, clarissima est gratiae testi-  
ficatio. Hanc ille confiteatur, & eum gaudebimus siue  
rectum, siue correctum. Distinguenda est lex, & gratia. Lex  
iubere nouit, gratia iuuare. Nec lex iuberet, nisi esset vo-  
luntas; nec gratia iuaret, si satis esset voluntas. Iubetur,  
ut habeamus intellectum, vbi dicitur: *Nolite esse sicut equus* *Psal. 31.*  
& *mulus, quibus non est intellectus*: & tamen oramus, ut ha-  
beamus intellectum, vbi dicitur: *Da mihi intellectum, ut* *Psal. 118.*  
*discam mandata tua*. Iubetur ut habeamus sapientiam, vbi  
dicitur: *Stulti aliquando sapite*: & tamen oratur, ut sapien- *Psal. 93.*  
tiam habeamus, vbi dicitur: *Si quis autem vestrum indiget sa-* *Iacob. 1.*  
*pientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impro-*  
*perat, & dabitur ei*. Iubetur ut habeamus continentiam, vbi  
dicitur: *Hic aliquid deest eiusmodi: Sint lumbi vestri prae-* *Luc. 12.*  
*cincti*: & tamen oramus eam dari nobis vbi dicitur: *Cum* *Sapient. 8.*  
*scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum*  
*erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum; adii Dominum, & de-*  
*precatum sum illum*. Postremo, ne nimium longum sit cun-  
cta percurrere, iubetur ut non faciamus malum, vbi di-  
citur: *Declina a malo*, & tamen oratur ut non faciamus *Psal. 33.*  
malum, vbi dicitur: *Oramus autem ad Dominum, ne quid fa-* *2. Cor. 13.*  
*ciatis mali*. Iubemur ut faciamus bonum, vbi dicitur: *De-* *Psal. 33.*  
*clina a malo, & fac bonum*, & tamen oratur ut faciamus bo-  
num, vbi dicitur: *Non cessamus, pro vobis orantes & postulan-* *Coloss. 1.*  
*tes*, atque inter cetera quae illis orat, dicit: *Vt ambuletis di-* *1. Thess. 2.*  
*gne Deo in omne placitum, in omni opere & sermone bono*. Sicut

Concil. Tom. 4.

Bbb ij

ergo agnoscimus voluntatem, cum hæc præcipiuntur: sic  
& ipse agnoscat gratiam, cum petuntur.

Misimus reuerentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religiosi & honesti adolescentes, serui Dei, quorum etiam nomina non tacemus, nam Thimastus & Iacobus vocantur. Qui, sicut audiimus, & etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione, spem, quam habebant in sæculo, reliquerunt, & nunc continentes Deo seruiunt. Qui cum errore eodem tandem aliquando per qualemcumque operam nostram, Domino inspirante, caruissent, protulerunt eundem librum, Pelagii esse dicentes, & ut ei responderetur, impendio rogauerunt. Factum est: ad eosdem rescripta est ipsa responsio. Agentes gratias, rescripserunt. Vtrumque misimus, cui responsum est, & quod responsum est. Et ne nimium essemus onerosi, signa fecimus his locis, vbi (petimus) inspicere non graueris, quemadmodum sibi obiecta quæstione, quod gratiam Dei negaret, ita respondit, ut eam esse non diceret nisi naturam, in qua nos condidit Deus. Si autem hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus. Anathematizet illa, & eam confiteatur apertissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat & prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua saluatur natura, non auribus doctrina sonante, vel aliquo adiumento visibili, sicut plantatur quodammodo & irrigatur extrinsecus, sed subministracione spiritus & occulta misericordia, sicut ille facit  
*qui dat incrementum Deus.* Etsi enim quadam non improbanda ratione, dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus: nec ita essemus aliquid, ut cadauer quod non viuit, aut arbor quæ non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed homines qui & essemus, & viueremus, & sentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere valeamus: vnde merito & gratia ista dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita bonitate Dei donata est: alia est tamen, qua prædestinati vocamur, iustificamur, glorificamur, ut dicere possimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* De hac gratia quæstio vertebatur,

1. Cor. 3.

Rom. 8.

ANNO  
CHRISTI  
416.

quando ab his, quos Pelagius grauiter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret, non solum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata diuina, per liberum arbitrium sibi humanam sufficere naturam. Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, qua saluamur & iustificamur ex fide Christi. De hac scriptum est: *Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem iustitia, er-* Galat. 2.  
*go Christus gratis mortuus est.* De hac scriptum est: *Euacua-* Galat. 5.  
*ti estis a Christo. Qui in lege iustificamini, a gratia excidistis.* De  
hac scriptum est: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alio-* Rom. 12.  
*quin gratia iam non est gratia.* De hac scriptum est: *Ei autem* Rom. 4.  
*qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secun-*  
*dum debitum. Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum,*  
*qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam.* Et multa  
alia, quæ melius potes ipse meminisse, & intelligere pru-  
dentius, & illustrius prædicare. Illam vero gratiam, qua  
creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non im-  
merito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam  
in vllis legitimis, propheticis, euangelicis, apostolicisque  
litteris legimus. Cum itaque de hac gratia, Christianis fi-  
delibus catholicisque notissima, illi obiiceretur quæstio,  
vt eam oppugnare defineret: quid est, quod cum hoc sibi  
in libro suo, velut ab aduersante persona, idem ipse obie-  
cisset, vt se respondendo purgaret; nihil aliud respon-  
dit, nisi naturam creati hominis referre gratiam creato-  
ris, atque se ita dicere, sine peccato implere posse iusti-  
tiam, per liberum arbitrium cum adiutorio diuinæ gra-  
tiæ, quod Deus hoc dederit homini, ipsa possibilitate na-  
turæ? Cui merito respondetur: *Ergo euacuatum est scanda-* Galat. 5.  
*lum crucis: Ergo Christus gratis mortuus est.* Non enim, si non Rom. 4.  
moreretur propter delicta nostra, & resurgeret propter  
iustificationem nostram, nec *ascendens in altum, capti-* Psal. 67.  
*uans captiuitatem, daret dona hominibus,* ista naturæ pos-  
sibilitas, quam defendit, non esset in hominibus. An  
forte Dei mandatum deerat, & ideo Christus mortuus  
est? Imo etiam & hoc erat sanctum, & iustum, & bo-  
num. Iam dictum fuerat: *Non concupisces: iam dictum* Exod. 20.  
fuerat: *Diliges proximum tuum tamquam teipsum.* In quo Matth. 5.  
fermone apostolus omnem legem dicit impleri: & quo-

niam nisi diligit Deū, nemo diligit seipsum, ideo Dominus in his duobus præceptis totam legem dixit prophetasque pendere. Quæ duo præcepta iam erant hominibus diuinitus data. An æternum præmium iustitiæ promissum nondum erat? Hoc ipse non dicit, qui in suis literis posuit, etiam in veteri Testamento regnum cælorum esse promissum. Si ergo ad faciendam perficiendamque iustitiam, iam erat naturæ possibilitas per liberum arbitrium, iam erat legis Dei sanctum, & iustum, bonumque mandatum, iam erat promissum præmium sempiternum: *Ergo Christus gratis mortuus est: ergo neque per legem iustitia, neque per naturæ possibilitatē, sed ex fide ac dono Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, vnum mediatorem Dei & hominum. Qui nisi in plenitudine temporis mortuus esset propter delicta nostra, & resurrexisset propter iustificationem nostram, profecto & antiquorum fides euacuaretur, & nostra. Fide vero euacuata, quæ homini iustitia remaneat: cum iustus ex fide uiuat? Ex quo enim per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: procul dubio a corpore mortis huius, ubi lex alia repugnat legi mentis, neminem liberauit aut liberat suæ possibilitas naturæ: quæ perdita, redemptore indiget; faucia, Salvatore: sed gratia Dei per fidem vnus mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi, qui & Deus cum esset, hominem fecit, & manens Deus, homo factus, refecit ipse quod fecit. Puto autem, quod eum lateat, fidem Christi (quæ postea in reuelationem venit) in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum, per quam tamen etiam ipsi Dei gratia liberati sunt, quicumque omnibus generis humani temporibus liberari potuerunt occulto iudicio Dei, non tamen vituperabili. Vnde dicit Apostolus: *Habentes autem eundem spiritum fidei, utique eundem quem & illi, secundum quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod loquimur. Inde est, quod ait ipse mediator: Abraham concupiuit videre diem meum: vidit, & gauisus est. Inde Melchisedec prolato sacramento mensæ dominicæ, nouit æternum eius sacerdotium figurare. Iam vero data in literis lege quam dicit Apostolus subintraße, vt abunda-**

Gal. 2.

Heb. 10.  
Rom. 5.

Rom. 7.

2. Cor. 4.

Psal. 115.

Ioan. 8.

Gen. 14.

ANNO  
CHRISTI  
416.

ret delictum, & de qua dicit: *Si ergo ex lege hereditas, iam Gal. 3.*  
*non ex promissione: Abrahæ autem per repromissionem donauit*  
*Deus. Quid igitur lex? Transgressionis gratia posita est, donec ve-*  
*niret semen cui promissum est, dispositum per angelos in manu me-*  
*diatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est. Lex*  
*ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ*  
*posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptu-*  
*ra, omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur*  
*credentibus. Nonne satis ostenditur hoc actum esse per le-*  
*gem, vt peccatum agnosceretur, & præuaricatione auge-*  
*retur? Vbi enim lex non est, nec præuaricatio. Et sic aduersus Rom. 4.*  
*victoriam peccati, ad diuinam gratiam (quæ in promif-*  
*sionibus est) confugeretur: atque ita lex non esset aduer-*  
*sus promissa Dei, quia ideo per illam fit cognitio peccati,*  
*& ex præuaricatione legis abundantia peccati, vt ad li-*  
*berationem quærantur promissiones Dei, quod est gratia*  
*Dei, & incipiat esse in homine iustitia, non sua, sed Dei,*  
*hoc est, data dono Dei. Quam etiam nunc quidam (sicut*  
*tunc de Iudæis dictum est) ignorant Dei iustitiam, & Rom. 10.*  
*suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Per le-*  
*gem quippe & illi iustificari se arbitrantur, sufficiente sibi*  
*ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est, iustitia*  
*sua, prolata ex natura humana, non donata ex gratia di-*  
*uina, propter quod iustitia Dei dicitur. Vnde item scri-*  
*ptum est: Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine le-*  
*ge iustitia Dei manifestata est, testificata per legem & per prophe-*  
*tas. Cum dicit: Manifestata est: ostendit quia & tunc e-*  
*rat: sed tamquam illa pluuia quam Gedeon impetrauit; Iud. 6.*  
*tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area*  
*manifesta. Cum ergo lex sine gratia, non mors peccati*  
*potuisset esse, sed virtus: sic enim dictum est: Aculeus 1. Cor. 15.*  
*mortis peccatum, virtus autem peccati lex: sicut confugiunt*  
*multi a facie regnantis peccati ad gratiam, velut in aream,*  
*nunc patentem: ita pauci ad eam confugiebant, velut in*  
*vellere tunc latentem. Hæc vero temporum distributio*  
*refertur ad altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ*  
*Dei, de qua dictum est: Quam inscrutabilia sunt iudicia e-*  
*ius, & inuestigabiles viæ eius? Quapropter si & ante tem-*  
*pus legis, & tempore ipso legis, iustos patres ex fide vi-*  
*uentes, non possibilitas naturæ infirmæ & indignæ ac vi-*

tiaræ, & sub peccato venundatæ, sed Dei gratia per fidem iustificabat, & nunc eadem, in apertum iam veniens, reuelata iustificat, anathematizet ergo Pelagius scripta sua, vbi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturæ, ad vincenda peccata, & implenda mandata. Aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa; quæ sua esse negat, anathematizet ea tamen, & damnet paterna exhortatione & auctoritate sanctimoniarum tuarum. Si ergo vult, onerosum sibi & perniciosum discat, ecclesiarum scandalum inferre, quod scandalum auditores, & in peruersum dilectores eius, vsquequaque spargere non quiescunt. Si enim cognouerint eundem librum (quem illius vel putant esse, vel norunt) episcoporum catholicorum auctoritate, & maxime sanctitatis tuæ, quam apud eum esse maioris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipso esse anathematizatum atque damnatum; non eos ulterius æstimamus aufuros, loquendo contra gratiam Dei, quæ reuelata est per passionem & resurrectionem Christi, pectora fidelia & simpliciter Christiana turbare: sed potius, adiuuante misericordia Dei, concertantibus nobiscum caritate ac pietate flagrantibus orationibus tuis, (non solum vt in æternum beati, verum etiam & iusti & sancti sint) non in sua virtute, sed in eadem gratia confisuros. Vnde & ad ipsum scriptam ab vno nostrum epistolam, ad quem, per quemdam orientalem diaconum, ciuem autem Hipponensem, tamquam purgationis suæ quædam scripta transmisit, tuæ beatitudini potius credidimus dirigendam, melius iudicantes, & petentes, vt eam mittere ei ipse digneris. Sic enim eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quam qui scripsit, attendens. Illud vero, quod dicunt, posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei facile custodire, si velit, quamuis cum hoc per adiutorium gratiæ, quæ tamen per incarnationem vnigeniti eius reuelata atque donata est, dicitur, tolerabilius dici videatur, tamen quoniam non immerito mouere potest, vbi & quando per eandem gratiam id efficiatur in nobis, vt sine vlllo prorsus peccato simus, (vtrum in hac vita, quando *caro concupiscit aduersus spiritum*, an vero in illa, cum



ANNO  
CHRISTI  
416.

cum fiet sermo qui scriptus est: *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? aculeus enim mortis, peccatum est* diligenter pertractandum est propter alios quosdam, qui senserunt, atque in suis literis memoriæ mandauerunt, etiam in hac vita esse posse hominem sine peccato, non ab initio natiuitatis suæ, sed conuersione a peccatis ad iustitiam, & a via reprobata ad bonam vitam. Sic enim intellexerunt, quod de Zacharia & Elizabeth scriptum est, ambulasse eos in omnibus iustificationibus Domini sine querela. Hoc, quod dictum est, sine querela, sine peccato dictum acceperunt, non quidem negantes, imo etiam (quod aliis locis in literis eorum inuenitur) pie confitentes adiutorium gratiæ Domini nostri, non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem Spiritum Dei. Qui parum videntur considerasse ipsum Zachariam fuisse utique sacerdotem. Omnes autem tunc sacerdotes necesse habebant ex lege Dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populo. Sicut ergo nunc per orationis sacrificium conuincimur non esse sine peccato; quoniam iussi sumus dicere: *Dimitte nobis debita nostra*: ita & tunc per sacrificia victimarum animalium, conuincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis iuebantur offerre. Quod si res ita se habet, ut per gratiam saluatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, caritate crescente, perficiamur autem in illa vita, cupiditate extincta, caritate completa: profecto illud quod scriptum est: *Qui natus est ex Deo, non peccat*, secundum ipsam caritatem dictum est, quæ sola non peccat. Ad natiuitatem quippe, quæ ex Deo est, augenda & perficienda caritas pertinet: non ea, quæ minuenda est & consumenda, cupiditas: quæ tamen, quamdiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis. Sed natus ex Deo, nec obediens desiderii eius, nec exhibens membra sua arma iniquitatis peccato, potest dicere: *Iam non ego operor illud, sed illud quod habitat in me peccatum*. Sed quoquo modo se habeat ista quæstio, quia etsi non inuenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adiutorium gratiæ & Spiritus Dei: quod ut fiat, conandum atque poscendum est. tolerabiliter in id quisque fallitur: nec

1. Cor. 15.

Luc. 1.

Heb. 7.

Matth. 6.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 3.

Rom. 6.

Rom. 7.

diabolica impietas, sed error humanus est, elaboranda & optanda affirmare, etiam si, quod affirmat, non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certe laudabile est velle. Nobis autem sufficit, quod nullus fidelium in ecclesia Dei reperitur in quolibet profectu excellenti atque iustitia, qui audeat dicere sibi non necessariam precatorem orationis dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra, & dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, & in eorum veritas non sit*, quamuis iam sine querela viuat. Non enim qualecumque etiam tentationis humanæ, sed graue peccatum est, quod in querelam venit. Cetera quæ illi obiecta sunt, sicut gestis defensa peruiderit, ita de his procul dubio tua beatitudo iudicabit. Dabit sane nobis veniam suauitas mitissima cordis tui, quod prolixiorum epistolam fortassis quam velles tuæ misimus sanctitati. Non enim riuulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed in hac non parua tentatione temporis, vnde nos liberet cui dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*, vtrum etiam noster, licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, & tuis rescriptis de communi participatione vnus gratia consolari.

## N O T Æ.

Acta Concilii.

<sup>a</sup> *Concilium Mileuitanum.*] Dum patres huius Concilii Pelagianam hæresin octo Canonibus aduersus eam editis vnanimi consensu condemnassent, synodicam ad Innocentium Romanum pontificem per eundem Iulium legatum, quem Concilium Carthaginense cum literis synodalibus Romam miserat, dederunt. Quinque episcopi hi, Aurelius, Alypius, Augustinus, Euodius, & Possidius, suas priuatas familiares literas addiderunt; quibus illum admonuerunt, ne, quod iactabant Pelagiani, cum iisdem Romæ degentibus communicaret, aut saltem coniueret: idque priuatis, iisdemque familiaribus literis præstiterunt, ne verenda patris reterege viderentur. Quas vero Innocentius reddiderit, quomodo se iisdem expurgarit, omnemque suspicionem e cordibus Africanorum episcoporum sustulerit, patet supra ex epistolis ad Concilium Mileuitanum, & quinque episcopos redditis.

Duo Mileuitana Concilia incuria librariorum in vnum conflata.

<sup>b</sup> *Secundum.*] Hoc Concilium a priore Mileuitano distinctum esse, supra dixi in Concilio Mileuitano priore verbo: *Primum.* Quæ ratione contigerit, vt vicio librariorum, seu potius collectorum incuria, duo Mileuitana in vnum sint constituta, ibidem annotauimus.

ANNO CHRISTI 416.

<sup>c</sup> *Contra Pelagium & Cælestium.* ] De Pelagio supra egi in notis Concilii Diospolitani. Cælestius Pelagii armiger & classicus fuit, eiusdem hæreseos auctor: qui licet illius foret discipulus, tamen ab Hieronymo magister & ductor totius exercitus impietatis nominatur. Paulinus diaconus contra hunc disputavit Carthagine: qua disputatione se Rufinum Aquileiensem sequi professus fuit. Ibi aliisve in locis deinceps condemnatus, ad sedem apostolicam appellavit.

Cælestius hæresiar-cha, quis & qualis?

<sup>d</sup> *Sexaginta episcoporum.* ] Quorum nomina recensentur in principio epistolæ synodalis ad Innocentium pontificem scriptæ.

<sup>e</sup> *Theodosio & Palladio consulibus.* ] De tempore huius Concilii Mileuitani idem dicendum est quod paulo ante dixi in notis Carthagenensis Concilii immediate præcedentis, verbis iisdem, *Theodosio VII. & Palladio.*

Tempus Concilii.

<sup>f</sup> *Tituli Canonum.* ] Octo Canones anteriores, contra octo Pelagii diuersas hæreses editi, ad hoc Concilium pertinent: reliqui vero, qui deinceps vsque ad finem sequuntur, diuersorum Africanorum Conciliorum Canones esse apparent. Bar. ann. 416. num. 3.

Canones huius Concilii, qui & quot sint?

<sup>g</sup> *Gloriosissimis imperatoribus Arcadio, &c.* ] Hæc præfatiuncula, in cuius exordio habetur præfixa nota diei & consulis, vsque ad illa verba exclusiue: *Ideoque pariter quadam de causis fidei, &c.* est Mileuitani Concilii primi; cui Aurelius Carthagenensis episcopus interfuit. Baronius prædicto loco.

Præfatiuncula hæc surrepticia hic addita.

<sup>h</sup> *Placuit ut non sit ultra fatigandis.* ] Hæc quæ deinceps sequuntur, non Mileuitani, sed diuersorum potius Conciliorum Canones sunt, ut supra dixi.

Can. 9.

<sup>i</sup> *Sedita maneant, aut sibi met reconcilientur.* ] Manifeste indicatur, quod ne quidem coniugi innocenti aliud matrimonium contrahere concessum fuerit, quamdiu superest adultera. Quod cum S. Augustinus, qui Africanis Conciliis hoc tempore habitis interfuit, integris libris confirmauerit; mirum est qua ratione hæretici hunc Canonem ad suam hæc de re prauam & erroneam opinionem stabiendam, ablegare præsumant. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 17. obiecit. 10.

Can. 17. An coniux innocens post factam separationem adulteri coniugis, aliud matrimonium contrahere possit.

<sup>k</sup> *In qua causa legem imperialem petendam promulgari.* ] Patres huius Concilii legem imperialem desiderarunt, non qua declararetur nouum coniugium post diuortium utroque adhuc coniuge viuente illicitum esse, (id enim ex euangelio & Apostolo constare ipsimet patres hic affirmant) sed qua a potestate temporali seuerè etiam punirentur, qui crimen illud admitterent. Bellarm. lib. 1. de matrimonio cap. 17. obiecit. 10.

Can. 17. Petitur ab imperatore ut adulteri puniantur.

<sup>l</sup> *Item placuit, ut presbyteri, &c.* ] Quod supra Canone 17. Concilii Sardicensis vtiliter constitutum fuit, ut presbyterorum & minorum clericorum causæ apud vicinos episcopos terminentur, iisque ad sedem apostolicam appellantibus non deferatur; idem hoc loco a patribus alterius cuiusdam Africani Concilii confirmatum est. De episcopis ad sedem apostolicam appellantibus, nihil hic con-

Can. 22. Clericis minoribus in Africa ad sedem apostolicam appellare prohibetur.

Gratianus  
taxatur.Diluitur  
obiection.Apiarius  
presbyter  
Africanus  
an ad se-  
dem apo-  
stolicam  
appellans  
auditus fue-  
rit ?Can. 27.  
Subscripta  
nomina e-  
piscopo-  
rum in fine  
addita, sint-  
ne huius  
Concilii ?

stitutum fuit. S. Augustinus, qui plurimis Africanis Conciliis interfuit, epistola 162. testatur, Africanis ultra mare ad Romanum pontificem appellare concessum: clericis vero minoribus idem prohibitum fuisse. Cum itaque hic Canon non de episcopis, sed tantum de presbyteris & minoribus clericis loquatur, Gratianus 2. quæst. 6. hunc Canonem citans, non satis conuenienter eidem hanc limitationem addidit: *Nisi forte Romanam sedem appellauerint*, &c. quasi Africani trans mare appellantes, alio quam ad Romanum pontificem appellare consueuissent. Dices, si clericis inferioris ordinis ab episcoporum suorum sententia ad sedem apostolicam appellare prohibitum fuit, quo iure Romani pontifices Apiarium presbyterum ex Africa appellantem susceperunt, & quod referunt Africani patres in epistola ad Bonifacium & Cælestinum, in gradum suum restitui fecerunt. Respondeo, licet ipsis clericis ab episcopis suæ prouinciæ appellare prohibitum fuerit, non tamen prohibitum fuit, neque etiam prohiberi potuit summo pontifici, ne, si uellet, eos admitteret. Præterea Romani pontifices appellationem Apiarii non tam admiserunt, quam eius querelas audierunt, & Africanis mandarunt, ut eius causam diligenter cognoscerent, & fideliter iudicarent. Ex prædictis enim duabus epistolis patet, Apiarium bis Romam uenisse, atque utraque uice in Africam remissum, post reditum ab urbe ibidem in Concilio iudicatum esse. Vide Bellarmin. lib. 2. de Roman. pontif. cap. 24. obiect. 3. item quæ notauimus supra Can. 3. & 17. Concilii Sardicensis, quæque infra dicemus in notis Concilii Carthaginensis VI. cap. 6.

<sup>m</sup> *Et electi sunt de prouincia Carthaginensi Vincentius, &c.*] Nomina episcoporum, hic ad finem adscripta & apposita, diuersa sunt fere omnia ab iis quæ in principio epistolæ synodalis præfixa habentur. Vnde satis euidenter apparet, subscriptionem hic appositam, a Concilio Mileuitano diuersam esse: adeo ut hoc Concilium videas esse corpus ex diuersis membris compactum, cuius caput, pedes & membra sint ex aliis diuersis corporibus compaginata. Quæ nisi quis accurate perspexerit, in ambages inextricabiles, & nodos insolubiles incidat, necesse est. Vide Baronium anno 416. num. 3. & 10.

<sup>n</sup> *Epistola synodica.*] Qua occasione hæc duæ epistolæ scriptæ fuerint, diximus supra in principio, & notis epistolarum ab Innocentio redditarum.

VARIÆ LECTIONES FRONTONIS DVCAI  
SOCIETATIS IESV.

Can. 2.

*Non vere, sed falso intelligatur.*] *Non uera, sed falsa intelligatur.* Ita quoque legitur apud Gratianum de consecratione dist. 4. cap. Placuit. Ita demum Græcus interpres apud Photium in Nomocanone Carthaginensis Concilii Can. 112. ὁ τῷ π̄ τῷ εἰς ἀφ᾽ ἑσὺν ἀμάρτην βαπτίσματος ἐν ἁλῆσις, ἀλλὰ πλάσος νοεῖται.

ANNO  
CHRISTI  
416.

*Item quisquis dixerit.] Item placuit vt quisquis dixerit.* In aliis etiam Canonibus repetitur verbum *Placuit.* sed interpres tamen Græcus hoc legisse non videtur, Can. 112. Ομοίως ὅστις δῆποτε εἶποι τὸ αὐτὸ λέειν. Item post pauca vertit *Φανερόσται ἡ γνώσις τῶν ἀμάρτημάτων,* aperitur intelligentia peccatorum, non vt hic legitur, *intelligentia mandatorum,* quæ tamen verior est lectio: sequitur enim, *vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus.*

*Domino Deo nostro.] Domino Deo meo.* quo pacto legitur & apud Daniele cap. 9. v. 20. & Græcus interpres vertit, *κεῖω τῷ θεῷ μου ἐν ἡδέλησεν εἰπεῖν τὰς ἀμάρτίας ἡμῶν.* quæ perperam reddit Latinus Photii interpres in Nomocanone; *Noluit dicere peccata mea, pro peccata nostra.*

V I T A,  
EPISTOLÆ, ET DECRETA  
ZOSIMI PAPÆ.

*Ex libro pontificali.*

ANNO  
CHRISTI  
417.

**Z**OSIMVS natione Græcus, ex patre Abrahamio, sedit annum vnum, menses duos, dies vndecim. Hic constituit multa in ecclesia. Et constituit vt diacones læuas tectas de pallis linoestimis haberent. Et per parochias concessit licentiam benedicendi cereum paschalem. Et præcepit, vt nullis clericis poculum in publico propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros decem, diacones tres, episcopos per diuersa loca numero octo. Sepultus est via Tiburtina, iuxta corpus beati Laurentii martyris, septimo Kalendas \* Ianuarii. Et cessauit episcopatus dies vndecim.

\* Iunii.

N O T Æ.

*\* Zosimus.]* Post obitum Innocentii, interlapsis vigintiduobus diebus interregni, Zosimus factus est pontifex decimanona Augusti, anno Domini 417. qui est Honorii 23. Theodosii 10. Pelagius & Cælestius ab Africanis condemnati, ad pontificem appellarunt, oblatoque Zosimo fidei libello plane catholico, se in omnibus paratos esse dixerunt, eadem de fide sentire, quæ Romanus pontifex sentienda proponeret. Quibus persuasus pontifex de vtroque, vt vi-

Zosimus quando pontifex factus. Pelagius & Cælestius condemnati ad pontificem appellarunt.

Ccc iij